

DISPUTATIO THEOLOGICA
De
PECCATO
IN SPIRITUM
SANCTUM

quam
SUB PRÆSIDIO
JOHANNIS COTHMANNI
S. S. Theologiæ Doctoris &
Professoris

publico ac placido discursui subiicit in Au-
ditorio majori ad diem 25. Octobr.

JOHANNES Slotwel Reg. Pruss.



ROSTOCKI,
Literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.
ANNO M. DC. XXXIV,

Inv. 168 295584



264029

VIRIS


Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis, Spectatis.

Dnn. Coss. cæterisq; Senatorib⁹ Reipub.Cniphovianæ, quæ est Regiomot. Borussorū, gravissimis,
ut & DN. judici, cæterisq; scabinis dignissimis, Dominis Mecæ-
natib⁹, sautorib⁹, ac studiorum promotorib⁹ magnis.

S. P.

Quod ex primo περιπτώσεω lapsu Viri Amplissimi, Consultissimi, Prudentissimi, Spectatis, cœu Pandoræ pyxide, omnis generis mala in nos eruperint, cum damno nostro, (heu nos miseris!) abundè experimur. Hinc illa corruptio, de qua omnes Saniores Philosophi conquesti quidem sunt, unde vero fluxerit, ignorarunt; Hinc omnia alia peccata actualia, quæ nostras actiones imperfectas reddunt, ac nos damnant. Quidjam dicam de peccato in Sp. S. hoc omnium est gravissimum, hoc omnium difficultissimum, adeò ut Augustinus serm. ii. de verb. domini pronunciet. Quod Deus exercere nos voluerit difficultate Questionis de hoc peccato, cum in omnibus Scripturis sanctis, forte nulla major, nulla difficultior inveniatur. Proinde quo melius ejus naturam cognoscere, theses aliquas de hoc peccato conscripsi, ut ansa mihi daretur, alios autores, (licet pauci de hac materia difficultissime scriperint) perlegendi, & publice de ea conferendi, ut sic de illius naturâ melius informarer ac erudirer. Interea quandò V. V. A. A. meorum studiorum Mecænates magnos, ac Promotores maximos recordor, quandò pristinorum beneficiorum sum memor, intermittere non potui, quin theses hæc à tenuitate ingenij mei conscriptas V. V. A. A. humillimè offerem, ac obser- vanter consecrarem. Hoc enim pietas jubet, gratitudo postulat, exempla admonent, ut illis primitias studiorum consecremus, à quibus nobis omnis spes promotionis, à quibus multa beneficia. In gratiæ igitur mentis περιπτώσεω observantiissimè theses hæc V. V. A. A. consecro & offero, hac annexâ petitione, ut, cœu hactenus sic posthac studiorum meorum Mecænates, ac Promotores permanere velint, quod ego quovis loto & tempore pro conditione meâ vicissatim demererit studebo. Valete. Dabana Rostochij Anno M. DC. XXXIV. XX. Octobr.

V. V. A. A. Observansissimus
JOHANNES Florwel. Reg. Pruf.



בָּאַלְהִים

THESES I.

Duo imprimis esse blasphemiarum genera, os
veritatis Christus ipse testatur. Matth. 12. 31.
inquiens. πάσια καρδία, καὶ Θλασφημία ἀφε-
γόται τοῖς ἀνθρώποις, οὐ δέ τοι πιενεργός Θλα-
σφημία ἐκ ἀφεγόται τοῖς ἀνθρώποις. &c.

II. Quibus verbis, aliud peccatum: scil. blasphemiam
in Filium Dei, aliud in Spiritum S. esse Salvator declarat, non so-
lum hoc, sed & sequente versiculo.

III. Nos cum hāc vice de peccato in Spiritum S. differere
voluerimus, rem agrediemur, eamq; ut meliori ordine profe-
quamur, hāc insistemus methodo. I. Peccati hujus essentiam
quid scil. sit inquirem. II. τείσηκατε quædā annotabim.
III. Quæstiones aliquot explicabim. Tu autem sancte Spi-
ritus, aperi oculos ac mentem nostram, ut peccatum hoc recte
considerare, angue eaneq; pejus fugere possimus.

CAPUT: I.

Peccati in Spiritum S. essentiam indagans.

IV. Antequam dicamus, quid peccatum in Spiritum S.
sit necessum est, ut prius exploremus: An etiam sit tale pecca-
tum quod in Spiritum S. committatur. Esse autem tale pec-
catum sequentia dicta comprobant. Ubi observandum, quod

quædam dicta loquuntur de hujus peccati Existencia quod sit;
quædam verò de hujus essentiâ. quid sit.

V. De existentiâ loquuntur dicta i. Matth. 12. v. 31. ¶ 32.
τῶν ἀμφορία, καὶ βλασφημία ἀφεδήσει τοῖς ἀνθρώποις
ηδὲ τῷ πνεύματι. βλασφημία ἐκ ἀφεδήσει τοῖς ἀνθρώποις
ν. 32. καὶ ὅσαν εἴπη λόγον καὶ τὸ τῷ μὴ τῷ ἀνθρώπῳ, ἀφεδήσεται
αὐτῷ. οὐ δὲ ἂν εἴπῃ κατὰ τῷ πνεύματος τῷ ἄγιος ἐκ αφεδήσει
αὐτῷ, οὐτε ἐν γέτω τῷ ἀιῶνι, οὐτε ἐν τῷ μέλοντι.

VI. 2. Marc. 3. 28. Ἄμην λέγω ὑμῖν, οὗτοι πάντες ἀφεδή-
σται ταὶ ἀμφορίματα τοῖς ἱσοῖς τῶν ἀνθρώπων, καὶ βλασφη-
μίαι, ὅσας ἂν βλασφημήσων ν. 29. "Οὐ δέ ἂν βλασφημήσῃς
τὸ πνεῦμα τὸ ἄγιον ἐκ ἔχει ἀφεστον εἰς τὸν ἀιῶνα, ἀλλὰ ἐνοχός
ἔστιν ἀιῶνις κείσονται.

VII. 3. Luc. 12. 10. Καὶ τῶς οὐ ἐρῇ λόγον εἰς τὸν ὑἱὸν τῷ
ἀνθρώπῳ ἀφεδήσεται αὐτῷ, τῷ δὲ εἰς τὸ ἄγιον πνεῦμα βλασφη-
μῆσαντι ἐκ ἀφεδήσεται.

VIII. In his dictis exprefse salvator peccatum tale esse
affirmat, quando i. opponit blasphemiam communem & βλα-
σφημίαν τῷ πνεύματος & sic 2. discrimen facit inter peccata
κατὰ τὸν ὑἱὸν τῷ ἀνθρώπῳ & peccata κατὰ τὸ πνεύματος τῷ
ἄγιος.

IX. De peccati hujus essentiâ loquuntur dicta. 1. Hebreo
6. v. 4. Ἀδύνατον γὰρ τὰς ἀπαξ φωτισθέντας γενουμένας τε τῆς
δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίας, καὶ μετόχες γεννηθέντας πνεύματος ἄγιος.
γ. 5. Καὶ καὶ λόγον γενουμένας θεοῦ ρήμα, δυνάμεις τοῦ μέλλοντος
ἀιῶνος, γ. 6. Καὶ παρεπεσόντας, πάλιν ἀνακρινίζειν εἰς μετέποντος
εἰς ἀναστηράντας εἰσατοῖς τὸν ὑἱὸν τῷ θεῷ καὶ παρειδεγματι-
ζοντας.

X. 2. Hebreorum. 10. v. 26. Ἐκεῖνος γὰρ ἀκαρινθόντων ἡρεύεται
μὲν τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, ἐκ εὖ πελατού
τιῷ ἀπολαμπεῖται θυσία.

XI. Dis-

XI. Dicta het; quæ de hujus peccati essentiâ loquuntur, desumpta sunt ex Epistolâ ad Hebreos, ubi sciendum quod veteres citante D. Affelmanno p. m. in disp. de peccat. in Spir. S. thes. 6. ut Tertullianus Cyprianus Lactantius & nonnulli recentiores Epistolam ad Hebreos suppositam esse dixerint. unde factum, quod prisci Episcopi Romani, tandem ē canone expunxerint, totis fere annis 400, usq; ad Innocentium Primum. Et hoc exinde factum est, quia hanc Epistolam sacræ scripture, praesertim hæc antè citata dicta, expressè contradicere putabant quando affirmare videntur, quod lapsis post baptismum omnis gratia denegetur, & illis impossibile sit ad vitam aeternam reverti. In quam sententiam descenderunt olim Novatiani, qui se Carbaros appellarent, teste August. & Ambros, & in Poloniâ Photiniani, qui hæc dicta hujus Epistolæ pro se facere arbitrantur.

XII. Sed quando rem altius consideramus, dicta hæc de Peccato, non quovis, sed in Spiritum S. loqui observabimus, quam sententiam ex coherentia capitis 2. 3. 4. 5. & 6. probamus. Alloquitur enim autor hujus Epistolæ Hebreos, de religione Christianâ certos & confirmatos, ab eis verò scientes, & contra conscientiam deficere molientes. ut apparet ex cap. 5. v. II. usq; ad finem & cap. 6. v. 1. 2. 3. Ubi Auditores suos allocutus, qui Christianam doctrinam receperant qui gustaverant donum cælestis & quidem inter alia dona Spiritus S. extraordinaria, quod indicat c. 6. v. 2. ubi mentionem facit mannum impositionis. Nam tunc temporis Apostoli imposuerunt manus, super homines, & statim acceperunt Spiritum S. ut videre est. Act. 6. v. 6. & 8. c. 8. v. 17. 18. 19. & quod Spiritus S. dona linguarum variarum & his similia vel significet Act. 19. v. 2. vel ipse efficiat patet Actor. 10. 44. & seq. In c. 2. v. 1. 2. 3. scq. raxat Hebreos retrogrades qui ex verbo Dei de gra-

tia Spiritus S. eruditii Apostasiam committere volebant quando
inquit. Propterea oportet nos eo magis attendere, ipsi quæ au-
divimus, ne quando perfluamus &c. Capite 3. v. 6. dicit, quod
de spe & fiduciâ quidem glorientur. Sed optat ut usq; ad fi-
nem firmam retineant, ut ex toto hoc capite apparet. Vide in-
ter cetera. v. 14. Capite 4. v. 1. 2. 3. &c. & præsertim v. 11.
dicit. Studeamus igitur ingredi, in illam requiem, ne quis in in-
dem incidat contumacia exemplum. Ubi expresse dicit quod
contumaces futuri sint si talia patrarent. Quando ergo Au-
tor hujus Epistolæ inquit in cap. 6. Fieri non potest, ut qui &c:
sunt bæc verba de Hebreis intelligit, qui in fundamento veræ
religionis sunt perfectè informati, miraculis confirmati de-
câ certi quod sit una, vera & Apostolica religio, illam verò sci-
entes sine causa, & contumaciter reieciunt. ut apparet ex tex-
tu & ex tota Epistolâ in qua monet ne deficiant à veritate semel
agnitâ. Sic enim peccatum in Spiritum S. committent. vide
c. 6. v. 1. & 18. In cap. 10. v. 19. & seqq. monet ne deficiant nam
sal jungit. v. 26. Nam si ultro peccaverimus &c. & v. 29.
quanto acerbiore supplicio dignus censetur, qui, &c. &
qui Spiritum gratiæ contumeliâ affecerit. Apparet ergo
quod auctor loquatur de peccato in Spiritum S. in his dictis.

XIII. Hæc sunt principaliora dicta, quæ de peccati in
Spiritum S. cum Existentiâ, eum effentiâ loquuntur, nunc
porro specialius inquirendum est, quid sit peccatum in Spir-
itum S.

XIV. Explicanda autem prius venit I. vox peccati, cuius
homonymia, & synonymia alio loco tradita est; Notandum
saltem, quod peccatum hoc loco non sumatur, pro originali-
tatis omnes homines, qui sunt carnaliter nati Peccati in Spir-
itum S. essent rei: sed pro actis ærōpœ, cui rāmen aliquid habi-
tualis malitiæ est annexum.

XV. 2. Vo-

XV. 2. Vocem Spiritus quod attinet, sciendum quod sit
ex numero τῶν πλακῶν λεγομένων, de quo vide passim & in-
ter ceteros B. Chemnitii in Locis Com. Flacium sub voce Spi-
ritus. D. Gerhardum. Quando autem Spiritus de divinita-
te usurpatur, sumitur vel Essentialiter vel Personaliter.
Quando Essentialiter usurpatur, sumitur i. Communiter,
pro ἐστὶ & Essentiali divinā, tribus personis communi, sic Pa-
ter est Spiritus; Filius est Spiritus, Spiritus S. est Spiritus,
unde Deus dicitur Spiritus. Johan. 4. 24. 2. Speciatim, pro
naturā divina filij. Sic dicitur Christus vivificatus Spiritu.
i. Pet. 3. 18. Personaliter sumitur pro tertia personā divini-
tatis, quæ verè, realiter, & per se subsistit. Et hoc sensu hic
nobis dicitur, Peccatum in Spiritum S. nempe in tertiam di-
vinitatis personam commissum, quā ratione autem sic dicatur,
enfrā Quæst. i. dicetur.

XVI. Dicitur alias Blasphemia Spiritus Matth. 12.
v. 31; non quod Spiritus Sanctus blasphemiam efficiat, & cau-
sa ejus sit. Sed quia ipse & ejus officium blasphemij, afficiatur,
ut liquet ex v. 32. ubi dicitur λόγος καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἄγια &
Lutherus inquit. (in caput. 2. Epist. ad Gal.) Monendum
est Hebreos constructionem Genitivi, variè accipere,
jam activè, jam passivè. Id quod sæpe obscurare solet
sententiam, ut gloria DEI &c: nos plerumq; tales
sententias passivè exponimus sic & hoc loco passivè expli-
candum esse.

XVII. Item: Dicitur Peccatum irremissibile. quāra-
zione, infra dicetur. Item Peccatum ad mortem. i. Joh. 5.
26. non tam ratione reatus, quam respectu infallibilis damna-
tionis, ut inquit B. Meishner. in Arđewmλ. decad. I. pag. 316.

XVIII. Dicitur autem nobis de hoc peccato & ejus
essentia, facendum est, rem esse arduam & diffi-
cilem;

lem; Deo autem adjuvante quadam tenet eam perspicuam reddendam, si non modò illa quæ jam dicta sunt, sed etiam præcipue Essentialia requista pro ut à nobis describuntur, & in Exemplis declarantur obseruaverimus. Sit igitur:

XIX. ESSENTIALE REQUISITUM. I.

Ad peccatum in Spiritum S. requiritur

Certa sufficiens & Evidens Cœlestis veritatis cognitio.

Hoc I. statuit ab Autore Epistola ad Hebreos cap. 10. 27^o ubi dicit peccatores in Spiritum S. peccare μη τὸ λαθεῖν Τὴν εἰπίστων Τῆς ἀληθείας, & Heb 6. 4. dicit, quod fuerint antea illuminati & Dei donum gustaverint.

XX. Duo autem dicuntur in hoc requisito, Primo, Cognitio. Secundo Cognitio Veritatis, Ad pri-
mum quod accinet, requiritur ut cognitio illa sufficiens, per-
fecta ac certa sit. Illa autem duplex est; una παιδαρωγικὴ
ἡ ἡμιοὐρη literalis & externa; altera πνευματικὴ
Spiritualis, & interna, hæc fidelum est, quos Spiritus S. per
regenerationem sanctificavit, justificavit, & per gratiosam pra-
sentiam in cordibus obsignavit: hæc abesse potest, ut multa
restantur exempla; Illa non renatorum est, complectens cer-
titudinem sufficientem, & evidenter, quæ quis in corde suo
convictus est, veritatem divinam certissimam esse, hæc nun-
quam abesse potest.

XXI. Relinquitur ergo, quod peccatores in Spiritum S.
cognitionem doctrine habere oporteat quam in corde suo veram
esse sciant; Et ut Spiritus S. in illis antè se ita exeruerit,
sive miraculo, sive sermone sapientia aut scientia, vel
certe

certe virtute aliâ, ut jam Spiritus S. certâ ratione agnoscatur, si debeat in illum peccatum & blasphemia committi. Martin, Bucer. in cap. 12. Matth. Si enim hoc absit, & quis per ignorantiam vel de veritate divinâ anteposuit de eâ in conscientia suâ non convictus blasphemiam effucierit, non in Spiritum S. peccat, sed in filium, & remissionem consequi potest, quale exemplum habemus in Paulo 1. Tim. 1. 13. ubi ipse dicit. Τὸν πεποιηκόν ὅντας Βλάσφημον, καὶ διώκτην, τὸν
ιδεῖσθν, αλλ' ελεήθην, ὃν ἀγνῶν εμίνοις ἐν ἀποστολâ.

XXII. Secundum quod attinget requiritur cognitio veritatis Evangelicae, ut videre est ex totâ Epistola Hebraorum non ergo versatur circa mores & vitam. Consistit autem veritas Dei in duobus 1. in factis & miraculis, quae si quis blasphemis proscindat, & à Spiritu S. profecta sciat, peccatum in Spiritum S. patrare non immerito putatur, 2. in Doctrina Dei quae consistit in lege & Evangelio.

XXIII. Quæritur jam, An peccatum in Spiritum Sanctum committatur, contra legem, vel Evangelium? Respond. Statuunt Theologi potissimum versari circa Evangelium, certo respectu etiam circa legem, non quatenus est norma operum: alias omne peccatum morale contra normam operum commissum, esset peccatum in Spiritum Sanctum. Sed quatenus lex consideratur ut est verbum Dei, ut pars fidei & doctrinae: tunc etiam quis circa legem peccare potest, in Spiritum S. eam nimirum blasphemando, & pro doctrinâ Dei non agnoscendo. Vide. B. Meisher. Decad. I. Αὐθεωτλ. pag. m. 831.

XXIV. Ex his manifestum est, peccatores in Spiritum S. potissimum esse viros doctos ac eruditos, & quidem in Ecclesia, qui legerunt biblia, & de veritate Dei confirmati sunt, non

eam facile Laicos, qui etiam peccatum hoc committere possunt, quando miracula quæ Dei esse sciunt, blasphemare incipiunt.

XXV. II. Certam veritatis cognitionem requiri. Probatur ab Exemplo Pharisæorum, quos Christus hujus peccati pronunciavit reos, qui Christi doctrinam & miracula blasphemarunt. Illi autem doctrinam ejus veram sciebant, & de hac in cordibus suis convicti fuerunt, cui resistere non posuerunt Matt. 22. 16. Joh. 3. 2, & alibi passim.

XXVI. ESSENTIALE REQUISITUM. II. EFC

Agnitæ Veritatis, malitiosa, voluntaria, & destinato consilio facta, abnegatio.

Quod hoc requisitum de formalí hujus peccati sit, indicat Autor Epistole ad Hebræ: 10. 26. quando dicit: Si exētōs peccaverimus, id est, voluntariè & spontē, quo vocabulo peccatores volenter scienter, & sic malitiosè peccare indicat. Dicit autem quod veritatem cœlestem 1. abnegent. 2. voluntariè, 3. & malitiosè. Hoc probat in cap. 6. 6. quando dicit quod sint, mægenodæ, hoc est prolapsi, dum veritatem prolabendo abnegant, ubi indigitatur terminus à quo, nempe à veritate divinâ, eaq agnitiæ & confirmatiæ. EFC autem illa abnegatio planè voluntaria, quod modò dictum ex cap. 10. 26. quando dicit, si exētōs ultero & voluntariè peccaverimus, hoc est contra conscientiam. Ubi excluditur si quis metu periculorum territus, vel ab hereticis circumvenitus, vel gravitate tormentorum viatus, veritatem divinam abnegat, qualis abnegatio erat Petri, qui scienter quidem, veruntamen non ex mera & prava animi malitiâ Christum abnegavit, sed ex metu periculis.

periculi & mortis timore, unde qui ita peccat, nisi postmodum voluntariè in blasphemia permanferit, veniam peccati consequi posset, uti consecutus est Petrus.

XXVII. Peccant & abnegant præterea veritatem etiam malitiosè, nam qui sponse & voluntariè malum aliquod patrat, quod malefactum novit, ille malitiosè peccat. Sic hi peccatores scientes à veritate ratiā discedunt, utiq etiam malitiosè eam abnegant. Si enim quis reus coram judice accusatus, ab accusatione suâ, auxilio advocaci cuiusdam absolvī posse sciret, etiam ad vocatum adstantem videret, ac media absolutionis proponentem audiret, ipsum autem abiceret, ipsius media contemneret, nonne ille malitiosè, & scienter peccaret, & ab omnibus pro insano & demente haberetur? Sic etiam peccatores in Spiritum S. quia sciunt divinam veritatem esse verissimam & sciunt etiam Spiritum S. esse τηλεγιαλητον & ad vocatum fidelissimum, nihilominus tamen ipsius doctrinam contemnunt, & ipsum scienter abnegant. Annon ergo malitiosè & destinato animi consilio peccante?

XXVIII. Exemplum præbent Pharisei; Illi Christum i. abnegarunt ejus miracula repudiarnit, ac doctrinam Christi S. contempserunt, uti patet ex historiā 2. idq Spontè nullā externa coacti causā, sed merā malitiā, ita ut Athanasij ipse dicat Tom. I. supra dictum Christi Matth. 12. 32. καὶ ὁς ἀνέστη θάρρως. &c : de pharisaïs hisce. Faciebant autem illud, nulla aliā de causā, quam ut eum, qui talia faceret, inficiarentur, & Deum & Dei Filium.

XXIX. ESSENTIALE REQUISITUM III. EFC
Divinæ veritatis oppugnatio.

Quod hoc similicer sit de formalí hujus peccati, rectis. est

aut^ror Epistolæ ad Heb. 10. 29. ubi dicit, quod hi peccatores
tov i*vior* *is* *des* *ngnematu**s*, id est conculecent, quod non solum
pedibus conculecare significat, Matth. 5. 13. Sed et de corde u-
surparur, ex quo pravi affectus prodeunt Matth. 7. 6. Quo
vocabulo aut^ror Epistolæ hos peccatores, non solum veritatem
Evangelij, externe rabiōse & hostiliter, sed et in corde suo per-
versè oppugnare indiget.

XXX. Licer autem priori modo id non semper armis ma-
nibus, pedibus, ferro &c: committere possint, & veritatem di-
vinam oppugnare, tamen posteriori in cordibus suis veritatem
divinam oppugnationibus hostilibus, cum voce calamo &c: oppri-
mi unice allaborant. Imo alijs calcar talia patrandi addunt,
alijs rogant, condicunt, ut non solum veritatem divinam,
sed et ipsius cultores graviter & hostiliter oppugnant.

XXXI. Exemplum habemus in Pbarisais, hoc peccatum
committentibus manifestum. Ili namque semper Christo re-
sticerunt, ac non solum doctrinam ejus abnegarunt, sed et publi-
cè oppugnarunt, quando alios ad ipsum decipiendum ablega-
runt, Matth: 22. v. 23. quo occasionem cum necandi, arripe-
rent, vide. Joh. 8. 59.

XXXII. ESSENTIALE REQUISITUM. IV. Eſſ

Oppugnatæ Veritatis Blasphematio

Blasphemia dicitur ἀβλάσπεια noceo seu laido & φημι fa-
me, ita ut fama noceat. Hebreis dicitur בְּרֵבָד בְּרֵבָד blasphem-
avit vel קָלַל הָלָל levis fuit. in Piel מִלְאָמֵד maledixit con-
victatus &c. Eſſ autem Blasphemia alia simplex alia hæ-
reticalis. Suaric: c. 5. p. 287. Simplex eſſ, quan non impin-
git in fidei veritatem ut sunt omnes blasphemie, quan proferun-
tur per modos operandi, imperandi aut imprecandi. hæc hic pri-
mari

mariò non attenditur. Hæreticalis que impingit in fidei doctrinam. Est vel externa vel interna. Interna est cor-dis, quando aliquis cogitationibus, vel colloquio mentali Deum, maledictis, afficie. Matth. 12. 25. dicitur, quod Christus cognoverit Pharisæorū cogitationes blasphemantes. Similiter Matth. 15. 19. Ex Ἰησοῦς εὐερχονται βλασφημίαι. Externa est oris, quando quis ea, quæ colloquio mentali meditatus est, exterius per sermonem profere & dicitur Blasphemia oris. Utraq; hoc loco attenditur. Thomas inquit. Blasphemia est vitium, quo aliquid Deo detrahitur, quod ei convenit, vel tribuitur, quod ei non convenit. Augustinus lib. 2. de morib; Manichæor. c. II. Blasphemia est, cum aliqua mala dicuntur de bonis, Hugo. de Sancto. Vitæ. lib. de fruct. carn. & Spirit. c. 6. inquit. Blasphemia est cum quādam probrofā irreligiositate, & diminutione honoris divini vituperium ac convitium &c.

XXXIII. Quod autem Blasphemia de essentialibus requisitus sit, indicatur in Epistola ad Hebr: cap. 6. 6. ubi dicitur, quod peccatores in Spiritum S. filium DEI παρεγένετον. Quid vero παρεγένετο sit, notum est ex Lexicographis, nimirum ignominia exponere, & quidem palam, ut omnibus instar Exemplis sit, ita etiam usurpatur Matth. I. 19. ubi legitur de Iosepho, quod Mariam noluerit παρεγένετον. Dicitur porro cap. 10. 29. quod peccatores Spiritum gratiæ concun-meliâ afficiant.

XXXIV. Exemplum habemus in Pharisæis in Spiritum S. peccantibus. Illi enim Christum externè in operibus, & internè blasphemis prosecuti sunt. Sic Matth. 9. 34. dicunt τοις ἀγροντοῖς δακρύοντας οὐδὲ λαυδεῖς τὴν δαυόνα Marc.

Sanctum op̄ ortet enumerata quinq; requisita conjunctum concurrere, non separatim. Ratio, est, quia haec requirita sunt de essentia ac formalī hujus peccati non seorsim sed conjunctim considerata. Si igitur unum aut alterum horum deerit, peccatum in Spiritum Sanctum nec dici potest nec debet.

XL. Hoc liquet ex exemplis ut pote Pauli, ille enim 1. veritatem divinam oppugnavit, & rabiose discipulos Christi persecutus est Actor. 9. v. 1. & 13. 2. eandem non solum ipse blasphemavit, sed & alios ad blasphemandum instigavit, Actor. 26. 11: 1. Tim. 1. 13. Verum, quia certa requisita aberant, nempe veritatis divinae agnitione 1. Tim. 1. 13. & veritatis agnitus abnegatio, ac mediorum salutis rejectio Actor. 9. 19 peccatum in Spiritum S. non fuit, ideoque pauci entiam agens remissionem consecutus est.

XL1. Sic Petrg duo priora requisita habuit ne p̄e veritatis divinae agnitionem, 2. eam abnegavit: quia vero alia aberant, peccatum in Spiritu S. non commisit. Quando autem nobis exemplum proponitur, semper enumerata requisita adesse reperimus, ut in Pbarisais, quemadmodum supra dictum est.

Novella II.

XLII. FINALIS IMPÆNITENTIA NON EST PECCATUM IN SPIRITUM SANCTUM. Assertionis nostræ ansam præbet Augustinus, quando passim peccatum in Spiritum S. de quo Christus loquitur, finalēm impænitentiam esse affirmat. Verum, quoniam haec non est ex essentialibus requisitis; itaq; non est de essentiâ hujus peccati, sed communis est omnibus alijs peccatis irremissis. Sic latro, fur & alij quando moriunerr sine pænitentiâ, non committunt peccatum in Spiritum S. Etsi vel maxime esset, tamen esset unicum requisitum, quod, ut ex precedenti conjectario liquet, non constituit pecca-

3. 30. quod Christus Spiritum impurum habeat Joh. 8. 48. dicit
cūt Christum demonium habere.

XXX. ESSENTIALE REQUISITUM. V. ETC
Omnium salutis mediorum abjectio.

Hoc rursus indicat Autor in Epistola ad Heb. 6. dum tales homines Christum rursus crucifigere c. 10. conculcare filium Dei, & sanguinem fæderis profanum ducere affermat; Quibus verbis indicat, quod hi peccatores verum medium salutis reijciant & contemnant, quod est filius Dei ipius verbum, & sanguis fæderis.

XXXVI. Exemplum habemus in Pharisæis, quos quando Christus in viam veritatis ducere voluit, Christum contempsérunt, illum, unā cum verbo suo ludibrio exposuerunt, sicut id abunde historia Evangelica testatur.

XXXVII. Hæc sunt illa præcipua essentialia requisita quæ nobis in Epistolâ ad Hebræos describuntur, quæ si observaverimus, quoddammodo naturam hujus peccati cognoscere posserimus, & talis emerget descriptio. Peccatum in Spiritum S. est peccatum contra agnitâ & evidenter veritatē, cœlestē, spontaneâ abnegatione, cum pertinaci impugnatione, voluntariâ Blasphemiam, & omnium mediorum abjectione commissum.

XXXVIII. Ex quo intelligitur peccatum hoc post lapsum primævum omnium esse gravissimum, adeoq; irremissibile, coniunctum cum induratione, & finali impénitentiâ, pro quo, scilicet nobis constaret, orandum non est, quæ adjuncta cū in sequentib; porismatib; fusis explicabitur, ad secundū progrediemur caput.

CAPUT: II.

πορισματι quædam proponens.

πόρισμα I.

XXIX. Ad Constitutionem peccati in Spiritum Sanctum

zum in Spiritum S. Adhac, Peccatum in Spiritum S. comi-
tatur blasphemia. Finalem impenitentiam non comitur Bla-
phemia. Ergo finalis impenitentia non est peccatum in Spiritu S.
πόλυτον III.

XLI. INCREDOULITAS NON EST PEC-
CATUM IN SPIRITUM S. neq; qui in Christum
non credit, aut in peccato perseverat, peccatum in Spi-
ritum Sanctum committit. In contraria opinione est Zwin-
gilius. Tom. I. & 4, in caput Matth. 12. Hoc autem non ve-
rum esse ex supra dictis videre est; Tum multa absurdia inde o-
rerentur, ut pote omnes genes, apud eos enim est incredulitas,
et omnes infantes ante Baptismum committere peccatum in
Spiritum Sanctum. Praterea increduli possunt convergi, Pecca-
tores in Spiritum S. non possunt convergi. Non dicam jam,
quod incredulitas finalis de essentia hujus peccati non sit. Nec o-
mnia essentialia requista in illâ concurrere. Relinquitur ergo
peccatum in Spiritum S. non esse ipsam incredulitatem.

πόλυτον IV.

XLIV. Peccatum IN SPIRITUM S. EST IRRE-
MISSIBILE. Sic enim Salvator ipse dicit Matth. 12. 31. οὐ
τὸς πνεύματος βλασφημία ἐκ ἀφεδόσται τοῖς ἀνθρώποις & v.
32. ἐκ ἀφεδόσται ἐπὶ ἐν Γέτῳ ἦτορὶ ἀιῶνι, ἐπὶ ἐν ἦτορὶ μέλλοντι. I-
tem Hebr. 6. 6. dicitur ἀδύνατον esse peccatores in Spiritum S.
παλίν ἀνακαυΐζειν εἰς μετενομασίαν. Ex quibus, et alijs dictis pec-
catum hoc remitti non posse constat.

XLV. Notandum autem h. l. quod peccatum aliud sit irre-
missum, aliud irremissibile. Peccatum irremissum dicitur
quod actu non est remissum, potentia vero remitti posset. Irre-
missibile autem dicitur, quod nec actu, nec potentia remitti pos-
set. Priori modo omnia alia peccata, si absuerit paenitentia, dis-
cuntur irremissa, non quod remitti non potuerint, sed quia ob abse-
tio

tem pœnitentiam irremissa permanserint. Posteriori modo Pe-
catum in Spiritum S. ita dicitur, quia nunquam potest remitti,
idq; non simpliciter, à parte Dei, sed à parte hominum. Igitur enim
hominibus, tali peccatum parvanebus, impossibile est, ad pœ-
nitentiam reverti Heb. 6.6. quoniam medium illam adipiscendi,
verbum Dei ultero & exsoic̄ respūunt. Nam quia voluntarie &
destinato consilio Spiritum gratiae blasphemant, eum abnegant
& detestantur, à Deo rursus deseruntur & Satanae traduntur,
qui illos induat, ut eò magis Deum blasphement, & ipius ver-
bum, quo converti possente, malitiosè centennant. Hinc sit ut
peccatum hoc irremissibile dicatur.

XLVI. Errat ergo Bariadius (cui effensum præbent sua-
rez & alij) lib. 8. c. 17. concord. & Historiæ Evangel. p.
557. cum propter ea peccatum hoc irremissibile dicit, quod magna
cum difficultate remittatur. Item. Bellarm. lib. 1. de verb.
Dei cap. 17. & lib. 2. de pœnit. c. 16. qui peccatum hoc non
absolute & simpliciter irremissibile afferit, verum quia ordina-
rie, & ut plurimum non curetur. Ideo & rō adūator Heb. 6. 4.
non per absolute, sed per ut plurimum explicandum vult.

XLVII. Similiter Socinus qui verba Christi, Matt. 12.32.
absolute accipienda negat, sed tū hoc annexo, si videlicet is, qui in
Sp. S. blasphemaverit, nominatim hujus peccati pœnitentiam non
egerit, ejusq; veniam à Deo ijs rationibus, quibus Deus ad agno-
scendum, moveri solet, impetrare studuerit. Hinc in cap. 5. 1.
Johan. Ep. st. p. 495. scribit: Actum blasphemandi in
Spiritum S. esse quidem ad mortem, quia mortis æter-
næ reum committentem, illum faciat; sed tamen non
penitus ac proihsus absolute, sed tum Demum si is, qui
cum commiserit, ejus seriam pœnitentiam non egerit.
Verum hos errare, ex antea dictis liquet, Christus namq; pecca-
tum hoc planè irremissibile afferit; utpote in hoc, peccatum in
Spiritum S. ab omnibus alijs peccatis discernens, nam qui pœni-
tentiam

veniam agit, non peccat in Spiritum S. & diserte dicitur in epistola ad Hebreos non posse homines hos ad pænitentiam reverti. Rectissime ergo Athanasius Tom. i. p. 392. Observandum est. Non dixisse Christum blasphemanti & ~~per~~ remissiōnē, resipisciēti, remissionem dandam non esse, sed blasphemantiis, & in blasphemia manenti επειδή περ την ἐστίν αμαρτία απογκάρεται, οὐδὲ τῷ Ιησῷ, εἰ τοῖς γνωστοῖς σύγχρονοις αξιῶσι μετανοεῖσθαι.

Πόριμα V.

XLVIII. PECCATUM IN SPIRITUM S. INDURATIO. EXCÆCATIO, ET FINALIS IMPENITENTIA COMITATUR. Hæc enim infallibilia hujus peccati sunt consequentia. Quoniam enim hi peccatores Spiritum S. blasphemis & conviciis acriter proscindunt, ideo non immerito Sp. S. gratiam suam ab illis subterabit, & in reprobum sensum tradi permitiet. Hinc illa iudicatio, & quia verbum Dei in istâ induratione respuunt, in finali impenitentia permanent, & ob hæc peccatum hoc remitti non potest.

Πόριμα VI.

XLIX. PRO PECCATORE IN SPIRITUM. S. Non est orandum. I. Joh. 5. 16. nācum irremissibile nobis esse constet, frustra pro peccatore orabimus, cui peccatum non remittitur. Non autem absolute dico, pro hisce peccatoribus, orandum non esse. Nam quidam videntur nobis esse peccatores, quidam reverâ sunt. De proribus quoniam infallibiliter dicere non possumus, quod sint peccatores in Spiritū S. sed tantum videntur, ideoq; precis pro illis fundere possumus & debemus, hac nimirum conditione si omnino non sunt indurati, ut convertantur & resipiscant, hoc enim & Deus ipse vult, I. Tim. 2. 1. & charitas jubet. Pro illis vero quos ex infallibilibus indicijs esse peccatores, & permultos annos Spiritui S. resistere cognoscimus pro illis orare non debemus. Christus etiam oravit pro peccatoribus sed pro illis, qui ignoranter peccarunt. Sic enim inquit. Remitte illis quia

quia nesciunt quid faciunt. Præterea Cbristi oratio duplex fuit
una generalis, qua pro eoto modo intercessit: altera specialis, qua
pro electis intercessit, nō hoc, sed priori modo pro inducatis oravit.

πέμπτη VII.

L. DE PECCATORE IN SPIRITUM S. Non
temerè est pronunciandum. sed non nisi à posteriori
& ex finali impænitentia. Sic Augustin Tom. 10. Serm.
11. de verb. domin. Ista impænitentia, (quā ille intelligit,
ut supra dictum, Peccatum in Spiritem S.) quamdiu quisq;
in hac carne viuit non potest judicari: Et postea inquit;
Nobite ergo judicare. Et recte. Nos enim non sumus ιαγ-
δυγνώσκει, neq; scimus, an hominis taliter peccantis ἐκδοτον omni
modo fuerit liberum. Præterea in tali nostro judicio sàpè erra-
mus, potess enim fieri, ut quis videatur nobis peccator in Spi-
ritum S. qui tamen penitentiam agit. Exemplum eis Manaf-
ses. 2. Regum 21. 6. 2. Paralip. 33. 12.

C A P U T : III.

Quæstiones aliquot explicans.

LII. Fuerunt hæc mea quæstiones pro ratione instituti nostri
annotata, sequitur jam ut etiam Quæstiones nonnullas explice-
mus, quæ dubia videtur. Sit itaq;

Q U E S T I O . 1.

An peccatum in Spiritum S. committatur etiam
in Filium & Patrem?

LII. Ad hanc Quæstionem decidendam observanda est di-
stinctio, quod opera Trinitatis ad extra sint indivisa. Sic
quicquid pater facit, facit etiam Filius & Spiritus S. & contra.
Considerantur tamen opera Dei, vel, absolute, vel relate.
Quando absolute considerantur, tunc actiones Trinitatis omni-
bus tribus personis communes sunt. Sic pater creat, redimit &
sanctificat. Idem facit & Filius & Spiritus S. Quando vero
relate considerantur, tunc cuiuslibet persona proprietas, in qua

se quilibet potissimum manifestavit attentetur. Sic quia se
pater maximè in opere creationis, Filius in opere redēctionis, Spi-
ritus Sanctus in opere illuminationis, & Sanctificationis manifes-
tit. Patri creatio, Filio redemptio, Spiritui Sancto Sanctificatio
& illuminatio tribuitur. Quando jam quæris? An Peccator in
Spiritū S. in Patrem & Filium etiam peccet? Respondemus, quod
actiones Dei sunt absolute, aut relatae consideranda sunt, si absolu-
te dictum, tunc non solum talis peccator in Spiritū S. sed & in patrē
& Filiū peccat. Si vero relatae & cū observabili quadam proposita
quatenus nimisrum cujuslibet personae proprietas attentetur pe-
ccatum hoc in tertiam personam committitur, cuius opera sunt
illuminare, docere, Sanctificare, per verbum & sacramenta regen-
erare. Cum vero talis peccator, in hac opera in quibus Spiritus
S. se potissimum manifestavit delinquat, ideo hoc peccatum dici-
tur in Spiritum S.

QUÆSTIO. II.

An Renati possint committere peccatum in
Spiritum Sanctum.

LIII. Negativam defendunt Calviniani, docentes Re-
natos non posse committere peccatum in Sp. S. medium proba-
tionis exinde petunt, quia renatum esse & electum esse pari passu
ambulant. Quibus assentitur Smalcians in refutat. D. Graue-
ri de Spiritu, S. p. 25. quando Præterea inquit, miramus Gra-
werum regeneratos. ab electis distinguere, dum ait re-
generatos, non electos finaliter Spiritum S. amittere,
& gratiā Dei excidere, posse. Quasi scilicet non sint con-
vertibilia, & idem prorsus significantia, regeneratū
& electum esse &c: Sed isti homines falluntur & falluntur, quod
ut declaretur, de duobus paucis agendum erit. Renatos & e-
lectos differre 2. renatos posse gratiā Dei excidere, & sic etiam
committere peccatum in Spiritum S.

LIV. Primum sic probo. Quis habent ut damnabiles & in-
damna-

damnabiles illi verè differunt. Renati & electi se habent ut da-
mnabiles & indamnabiles, Ergo renati & electi verè differunt.
Major liquet, Minorem affirmat scriptura, nimirum i. rena-
tos, gratiâ Dei excidere posse finaliter, ac sic damnari. Idem
Christus ipse affirmat. Luc. 8.v.6. & 13. Matth. 13.5. Marc. 4.5.
quod denter tales auditores, qui cū gaudio suscipiunt sermonem
Dei, in quorum cordibus etiam sermo enascatur, & sic fructum
afferat, nimirum fidem, quod autem illi tempore tentationis à
Deo recedant, exemplum est in Iudä & alijs. Fuerunt itaq; illi
homines anteà renati, & postea dū renati esse cessarunt, damnati
sunt. 2. Electos non damnari posse, exinde constat, quia illi in fide
ad finem perseverant, & scriptura dicit fieri non posse, electos se-
duci. Matth. 24.24. Hoc & Calviniani concedunt, licet abso-
luto Dei Decreto id fieri statuant.

LIV. Demonstrato jam primo. secundum longā probatione
non indiget, sed sponte sua collabescit, nam medium quo Calvi-
niani suam propositionem asseruerunt, falsum fuit. Paucis tamē
dicendum est, beatos renatos peccatum in Sp. S. committere posse,
hoc patet ex Epistolâ ad Hebraos, inquā autor auditores suos
qui verè fuerunt renati ac Sp. S. acceperunt, uti videre est su-
pra §. 12. admonet, ut in fide permaneant verbū nec Dei reijciant,
agnitam ventatem blasphemēt, Sanguinem fæderis pollutum
ducant, ac Spiritum S. malitiose & voluntarie abnegent, ex
quibus constat, illos Hebraeos peccatum in Sp. S. committentes
renatos fuisse, Relinquitur ergo Renatos in Spiritum S. posse
peccare, non electos.

QUESTIO III.

An peccantes in Sp. S. appetant malum, quā malum?

LV. Questio hac oritur, ex secundo attributo essentiali, ubi
dicebatur, quod ad constitutionē peccati in Spiritum S. requi-
ratur malitiosa & spontanea, ex Heb. 6.6. rejectio. Hinc jam
quaeritur. An voluntas hominis possit malum, quā ma-

lum appetere? Si philosopham consules, certe negabit, dicet o-
nim intellectus nostri objectum esse à dñ Deum, ad quam ipsenatu-
raliter fertur. Voluntatis item objectum esse bonum. Et ut Ci-
cero ait, natura omnes quæ bona videntur, sequuntur, su-
giuntq; contraria. Ex quibus constat hominem non posse ma-
lum appetere, & si appetit, tamen appetit sub specie boni. Quo-
modo ergo poterit homo, voluntarie veritatem divinam agnitā
reijicere, & sic sponte tantum malum appetere? Dicendum ergo,
quod omnino hominis intellectus & voluntas, malum appetant,
(quamvis idea & simulachro boni vestitum) id enim scriptura
sacra dilucidè afferit. Gen. 6. v. 5. 6. c. 8. 21.

LVI. Proinde distinguendum est 1. inter voluntatem, qua-
tenus sordidus, & ex natura sui consideratur; & quatenus pecca-
to originis corrupta est, & à Diabolo excæcata. Prior modo
nunquam malum, sed bonum appetit, est enim à Deo bonus crea-
tus Gen. 1. Posteriori vero modo voluntas nostra malum app-
etit. Unde Thomas inquit. Homo sicut & alia quælibet
res naturaliter habet appetitū boni, unde, quod ad ma-
lum ejus appetitus declinet, contingit ex aliquā corru-
ptione: Idq; sit non tantum in spiritualibus sed & pīus in ci-
vilibus. Sic enim fur furtum malum esse scit, & propterea ca-
pite plectendum se novit, interim tamen illud furtum licet sub
specie boni, fiat, appetit. Imo homines meliora, licet in-
telligentes sapè mala appetere testatur Medea, quando inquit.
Video meliora, proboque, deteriora sequor.

LVII. Distinguendum 2. est inter hominem, ratione rea-
liquiarnm imaginis divine, & ratione indurationis considera-
tum; Illo modo, homo malum quæ malum non appetit, & verita-
tem non abnegat; hoc vero, non nisi malum appetere potest; Sic
auditores Jeremias sciebāt prophetam à Deo esse missum, sciebant
itidem verbum, quod prædicabat, Dei esse verbum, tamē quia ins-
durati erant ac excæcati, dicebant. Verbum quod annunciasi
nobis in nomine domini, non faciemus.

Quæ

Q UÆSTIO IV.

Estne propterea peccatum in Spiritum S. irremissibile, quod Deus istis peccatoribus ex absoluto Decreto gratiam salvatricem denegarit?

LVIII. Due de hac re circumferuntur sententia. Prior est Lutheranorum; altera, Calvinianorum; Lutherani negant absolutum Dei decretum, quo Deus peccatores reprobavit, ut non possint ad veram poenitentiam revereri, & aliam causam irremissibilitatis, ut ita loquar, supra annotatam, afferunt. Calviniani vero hanc causam ponunt, quod peccatoribus in Spiritum Speccatum remitti nequeat, nimisrum reprobationem aeternam, & absolutum decretum. Sic enim Musculus in c. 12 Matth. inquit. Sed quare (scilicet peccatores in Spiritum S.) nequeunt renovari per poenitentiam? Resp. Quia reprobi sunt, & captivi Satanæ vasa iræ, in interitum parata &c: Ex quibus sat appareret, Calvinianos culpam ad Deum referre, qui non velit illos homines ad salutem venire. Et autem hæc sententia blasphemæ in sacram scripturam, & in meritum Christi sic enim Deus inquit: Ezech. 33. 11. Vivo ego nolo mortem impij, sed ut convertatur a via sua & vivat. confer Ezech. 18. Joh. 3. 16 Rom. 11. 32. 1. Tim. 2. 4. 2. Petr. 3. 9 Quæ in contrarium partem a Calvinianis afferuntur, & ad nostra argumenta excipiuntur, nullio sunt momenti, & alibi passim refutata.

Q UÆSTIO V.

Estne vero propterea hoc peccatum irremissibile, quia Deus pro illo non mortuus & pas-

sus est, vel pro illo non satisfecit?

LIX. Negat hoc est causa, quare hoc peccatum in Spiritum S. sit irremissibile; Deus enim pro omnibus hominibus satus fecit, mortuus & passus est, etiam pro illis qui filium Dei abnegant. 2. Petr. 2. 1. ac illos, qui sanguinem fæderis pollutum ducunt, & Spiritum gratiae contumelia afficiunt.

18010 Q 20 1402

civus

ciunt, sanctificavit, Heb. 10.29. confer. Esai. 53. 6. Joh. 1. 29. 1. Joh.
2. 2. 1. Cor. 15. 22. 2. Cor. 5. 15. 1. Tim. 2. 6. 1. Tim. 4. 10. &c: quæ
& alia indubitate monstrant, Christum non solum pro electis sed etiam pro
impiis, adeoq; pro peccantibus in Spiritum S. mortuum & passum esse, ac
satis fecisse non solum sufficienter, sed & efficienter.

LX. Noretur saltem, quod Christus quidem pro omnibus hominibus
totius mundi passus & mortuus sit, eosq; salvos fieri velit, sed cum hac
conditione; si nemirum homines fide meritum Christi apprehenderint, ac
salutariter sibi applicaverint, vitam eternam consecuturos esse, qui
autem hoc non fecerint, illis meritum Christi nihil prodeesse. Sic quia pec-
cantes in Spiritum S. meritum Christi defestantur, utiq; peccatum eorum
irremissibile manet.

XI. Calviniani vero rursus à nobis divortium faciunt, quando Christum
pro hisce peccatoribus satisfecisse negant, quæ sententia cum sacra
scripturae contradicat merito rejicitur. Quæ autem hic afferunt, ple-
rumq; loquuntur de salutari fructu & applicatione mortis & passionis
Christi, cum distinguere debeant, inter mortem & ejus fructum.

Q UÆ S T I O . VI.

An autem Peccatum in Spiritum S. ob id irre-
missibile dicitur, quia Deus hos peccatores
non serio vocavit,

LXII. Quid de hac sententiâ statuendum sit, notum est, rursus ex or-
thodoxorum doctrinâ, qui ex Sacra scriptura docent, Deum non tantum
omnes salvos fieri velle, pro omnibus mortuum esse, ac satisfecisse, sed eri-
am omnes serio vocasse, etiam impios, qui servos Christi occidunt Matth.
22. 3. confer. alia loca Matth. 23. 37 Esai. 65. 2. proverb. 1. 24. Calvi-
niani vero causam irremissibilitatis ad vocationis omissionem transferunt,
quæ sententiâ, utpote verbo Dei contraria, rectè rejicitur.

LXIII. Et hæc præcipue quæstiones sunt, quas hac vice, pro tenuitate
ingenij explicare libuit. Interim hic pedes sigimus Deo & Spiritui
gratiæ grates agentes, quod nostram mentem ac oculos aperire dignatus
fuerit, quod peccatum hoc gravissimum rectè considerare potuerimus, ea-
undem porro animi us invocamus, ut donū sui Spiritus nobis assistere re-
lit, quo non solum hoc, sed & alia peccata, quantum possibile est fugere
possimus, & vitam ipsi placentem agamus, ut cuncta nostra facta ac
dicta vergant in ipsis gloriam, nostram salutem, per
Christum Iesum servatorem nostrum.

Amen.

S O L I D E O G L O R I A .

